

g

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE
HEMIPLEXIA,

Quam

AUSPICE DEO PROPITIO,

Et Consensu atque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicæ,

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

P R A E S I D E,

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. PORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.

CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE

PUBLICO ORDINARIO, ETC.

FACULT. MEDICÆ SENIORE

E T D E C A N O H . T . S P E C T A T I S S I M O ,

Domino Patrono, ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DO-
CTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONSVETIS

ANNO MDCCXLIV. D. OCTOBR:

Publicè ac placide Eruditorum ventilationi subjicit


AUTOR ET RESPONDENS

GOTTLOB IMMANUEL SOMMER,

LANDSHUTA - SILESIUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.



V I R O
Excellentissimo, Amplissimo atque Ex-
perientissimo
D O M I N O
IOHANNI CASPARO
SOMMER,
DOCTORI MEDICINAE CELEBERRIMO, PRACTICO
FELICISSIMO ET PHYSICO VRBIS LANDS.
HVTENSIS SPECTATISSIMO,

P A R E N T I S U O
AETERNA PIETATE ET SANCTIMONIA
AD CINERES VSQUE DEVENERANDO,
LEVIDENSES HAS STVDIORUM SVORVM PRIMITIAS
TESTIMONIO AMORIS SVI,
OBSEQVII SVMMAEQUE OBSERVANTIAE
SACRAS ESSE IUBET

A V T O R.

PARENTS SVMME VENERANDE,

Si paterfamilias ex arbustula frugifera, sua ipsius manu confita, cuius culturae diligentem impendit curam operamque, quo citius proueniret & succresceret laetius, prope suo sibi iure primus primos, quos fert, fructus decerptos percipit & degustat, quod illi ad neminem alium magis, quam ad ipsum, pertinent: **TU** sane vero, **CARISSIME AMANTISSIMEQUE PARENTS**, quemadmodum omnis vitae meae anteaactae, ita quoque studiorum meorum fructum, eo maiori iure a me repetere posse mibi videris; quia **TIBI** uni, si a DEO discessero, & lucis usuram & fortunae meae prosperitatem, memet ipsum, omniaque mea refero accepta. **Quantae enim curae a paruulo TIBI, VENERANDE PATER,** omni tempore fuerim? quanto studio mentem meam vel optimis recte viuendi praceptoribusque doctrinis, quibus puerilis aetas imperfici debet, volueris diligenter imbuendam? **quanta omnis generis beneficia ex amoris TVI abun-**

abundantia in me sint profecta? quam optime
tandem saluti meae ac felicitati semper inuigi-
laris esse consultum? ea vero vix ac ne vix qui-
dem sine maximo pudore reminisci possum. O-
mnem igitur non amoris dicam, nec pietatis,
quae TIBI a me debetur, sed humanitatis sen-
sum exuisse iure meritoque viderer, nisi expe-
ctatissima hac occasione, qualemcumque meam
tot tantorumque beneficiorum, quae inusita-
tissima TVA liberalitas in me & contulit & in
dies propemodum magno cumulo auxit, gra-
tam atque immortalem memoriam apud animum
TVVM relictam velim testatissimam. Verum
enim vero, etiam si qualemcumque grati mei ani-
mi monumentum PATERNO AMORI erga
me TVO summaeque munificentiae hisce literu-
lis statuero; non tamen ullam TVORVM er-
ga me meritorum partem, non dicam habenda,
multo minus referenda, sed ne cogitanda qui-
dem gratia consequi potero. Ne tamen vero
INDVLGENTISSIME PATER, tam innu-
merorum beneficiorum, quae in me clarissima
maximaque extiterunt, plane immemorem me
neque ingratum, nec iis prorsus indignum iu-
dicares, ego, officiis meis non defuturus, exi-
guum TIBI hoc munuscum summa obseruan-
tia & animi sanctimonia concinnare dubitaui

nullus. Suscipe igitur hoc quicquid litterarum est, quod deficiente mibi munere, TWO NOMINE digniore, ego TIBI venerabundus offero, TIBIQUE persuadeas nullum unquam tempus futurum, quo TVORVM erga me meritorum grata memoria & praedicati in me moriatur. Nihil est quod a summo DEI numine ardentissimis votis opto atque expeto, quam ut TE, DULCISSIME PARENTS, cum CHARISSIMA MATRE, inoffensa valetudine sponitem, saluum, semperque florentem seruet quam diutissime, omniaque incepta ac negotia TVA TIBI fauste, feliciter prospereque semper euenire iubeat, mibi vero PATRIVM TVVM AMOREM perpetuo custodiat.

TVI

Dabam Halae Salicae
die X. Octobr. 1744.

Est amantissimus & obseruantissimus
Filius

GOTTLOB IMMANUEL SOMMER.



§. I.



emplexiae vel, si magis arriserit, *Hemiplegiae* originem atque ingenium, quoad eius fieri poterit, perscrutaturus, ipsius ἐνοματολογίᾳ diu inhaerere vix operae premium censeo, cum non facile arbitrer, fore, qui vsque eo literarum graecarum expers, quin sciat, vocabulum hoc in Graecia esse ortum ab ιψι semis & πλήσιω sive attica dialecto πλήρῳ percutio, vrpote a potissimo symptomate, quo acerbis se hic morbus prodit manifestatque & a cunctis cere-ris aegrotationibus est disiunctus: Sed pluris referre mihi videtur veram eius & perspicuam hoc loco tradi definitionem, vt dilucide inde appareat, quid morbi hoc nomine mihi veniat intelligendum, & cum in neruorum resolutione confistar, quemadmodum a reliquis sui similibus morbis, nec ita insolentibus, dissideat.

§. II.

Prius vero quam ipsi rei excutiendae me accingo, beneuolo Lectori duxi praecipiendum, non eundem omni-

omnium, qui in re medica aliquid de hoc malo memoriae mandarunt, esse huius morbi sensum ac denominationem, sed aliis *Paralyseos*, aliis vero alio nomine dici. Sunt enim quibus vox *Paralyseos* tam latissime patet, ut qualemcumque neruorum resolutionem, sive *Apoplexiam*, sive *Paraplegiam*, sive *Hemiplegian*, sive singularum partium resolutionem hoc vocabulo velint complexam. Quibus non multum alii ab ludunt, velut **HOLLERIVS** (a), **HORSTIVS** (b), **BELLINVS** (c), aliquique, qui etiamsi paulo arctioribus cancellis *Paralyseos* verbum circumscribant, eo tamen παραληψιαν, ημιπληγιαν atque omnes *Paralyseos* species, si ab *Apoplexia* discesseris, comprehendere dubitant nulli. Recentiorum quidam, perplexae & nimis lateae *Paralyseos* notioni occursum, discernendo, inter vniuersalem & particularem, *Paralyses*, medelam adferre conati sunt. At vero cum solicite *Hemiplegian* inter & *Paraplegiam* discernant, nemini sane erit obscurum, illos nec quidem commemorata distinctione, confusione huic mederi, cum tam *Hemiplegia*, quam *Paraplegia* existant species vniuersalis *Paralyseos*. Quo nomine non deprehendo, qui plus vidisse & obscuros hosce atque intricatos neruorum morbos illustriore interpretatione ac declaratione omnium oculis mihi subiecisse videatur, quam lumen illud, atque rei medicae ornamentum, **B. FRID. HOFFMANNVS**, qui eos ita inter se esse voluit disiunctos, ut illi neruorum resolutioni alterum idque totum quae occupat corporis latus, sive lae-

uum

(a) *Libr. I. de morbis intern.* pag. 35. & 40.(b) *Manud. ad Medic. Part. I. Cap. II. Sec. II. Art. I.*(c) *Opuscul. pract. de Vrin. & Puls. p. 144. seqq.*

uum sit siue dextrum, ita ut nec capitum & faciei lateri parcat, *Hemiplegiae* nomen solummodo conuenire, diserte perhibeat: quae vero dimidiam quidem corporis partem adoritur, capitum tamen dimidio illaeſo ſaluoque manente, ei ſatius rectiusque appellationem *Paralyſis alterurrius lateris* congruere tradat. Quodſi vero ſingulis iisque certis tantum corporis membris, velut brachio, manui, cruri, idque genus aliis ſubinde contingat, eam simplici *Paralyſeos* nomine ſignificari inquit conuenientiſſime. Ad *Paraplegian* tandem quod attinet, quam plerique & veterum & recentiorum pro peculiari resolutionis ſpecie omnium capiti ſubiectarum habent partium, qua & ſenu & motu orbantur, capite dunataxat ab omni labore immuni relictio; eam omnino dari negat, nec aliter, ſi qua forte exiftat, niſi ſub ipſa *Apoplexia* cooriri, propereaque ſingularem *Paralyſeos* ſpeciem perperam iudicari (d). Quae tanti tamque docti Viri variis de his intricatis atque abſtrufis morbis ſententia, quemadmodum ſanae rationi experientiaeque omnium viderut conuenientiſſima; ita mihi etiam omnium praecipue probatur. Quamobrem fore ſpero, id mihi nemo ut virtio vertat, quod in explicanda *Hemiplexiae* natura, tanti viri veſtigiis iuſſitam, & a vulgari atque omnibus fere trita via haud ſane inconsulte ac temere deflectens ingrediar rectiore.

§. III.

Discussis itaque tenebris, quibus *Paralyſeos* vocabulum compluribus Autoribus venit inuolutum, in eo eſt, ut oſtendam, quid morbi *Hemiplegiae* nomine velim intellige-

B

(d) *Tom. IV. Medicin. ration ſyſtem. C. I. §. VIII.*

telligentum. Est haec proinde morbus , alterutrum corporis latus idque totum a capitis vertice vsque ad calcem occupans , cum omnium affecti lateris musculorum immobilitate , nullo voluntatis nixu superanda , & cunctorum eiusdem lateris sensuum abolitione , ac mentis alienatione , modo grauiore , modo leuiore , semper coniunctus , superstite saluoque motuum vitalium visu , ab influxu neruei liquidi in neruos villosque musculares vndeunque impedito proficiscens.

§. IV.

Ego quidem non diffiteor hanc esse definitionem fortasse verbosiorem , quam pro compendio legum logicarum , quo in definitionibus componendis breuitati quam maxime semper studere docemur. At vero cum ad omnem realē definitionē eiusmodi notae pertineant , quibus res definienda abs quibusvis similibus aliis , sub eodem genere comprehensis , semper dignosci potest ; eas vel in hac *Hemiplegiae* definitione contentas oportuit , vt ab omnibus aliis paralyticis affectibus nullo semper negotio , commemoratis signis pathognomonicis discerni posset. Videbis ergo , quam obcaussam hoc in malo definiendo , ad illam logicam legem , quae definiendi praecipit compendium , alligare me non potuerim : quia contra in aliis praexceptis itidem logicis mihi fuisset offendendum & ipsa definitio suo definito obscurior reddita. Ceterum descriptionem hanc præcipua atque adeo essentialia complecti symptomata , qualibet in *Hemiplegia* perpetuo obvia , quae sua sibi vindicat ; eoque nomine huic malo , si occurrat , semper facile cognoscendo & a ceteris neruorum refolutio-

lutionibus dignoscendo sufficere, nemini erit obscurum, secundum nostram definitionem cum aliis morbis, in nervorum resolutione itidem consistentibus, *Hemiplegiam* collaturo. Ne quis vero haec arroganter a nobis putet dicta, non erit alienum praesentem morbum cum quibusdam aliis afflictionibus, originem suam, impedito liquidi nervi influxui pariter acceptam referentibus, componere, quo clarius inde pateat, *Hemiplegiae* cum eiusmodi aegrotationibus quid discriminis intercedat?

§. V.

Hemiplegia ex nostra definitione ab *Apoplexia* discernere haud arduum erit expensu, illam dimidiā corporis partem solum inuadere, altera opposita parte inoffensa relicta, vel subinde spasticis motibus agitata: haec vero totum corpus infestat. Illa leuiter duntaxat mentem dimouet: haec vero omnem rationis usum tollit. Taceamus ceteras, quibus *Apoplexia* a nostro male distat, differentias, velut sternorem illum insomnem propter summam spirandi difficultatem in *Apoplexia* obuium, quem excellentis. BERGERVS pathognomonicum huius mali signum iudicat. Neque difficile est dimidiā corporis resolutionem a *Paraplegia*, si qua forte, ut compluribus est persuasum, existat, ex data definitione disiungere. Haec enim omnem corporis truncum, cum vniuersis artibus, si a capite discesseris & partibus vitalibus, adoriri scribitur: illa vero alterum Iolummodo corporis latus sibi semper vindicat. Expeditissimum quoque est nostrae definitionis beneficio illam discrepantiam, quae *Hemiplegiae* cum *Paralyse* altera-

terutrius dimidiū corporis intercedit, ostendere: quippe haec omne totius corporis latus alterutrum obsidere conspicitur, capite ab omni labe prorsus immuni liberisque; illa vero non corporis dimidiā tantum partem corripit, sed etiam nec capitis lateri temperat, verum enctas affecti lateris in capite partes similiter, tam mouendi, quam sentiendi potentia priuat, b. FRID. HOFFMANNO id recte admonente (e): *Et quid erit negotii, eadem definitione *Hemiplegiam* dispescere a *Paralyse* speciatim ita appellata, quae singulis tantum certisque membris, ut brachio, cruri, manui, digitis, aliisque singularibus subinde euenire solet partibus, cum ex definitione tradita constet, *Hemiplegiam* tantummodo alterutrius lateris esse morbum.* De *Paresi* ex colica nihil fere attinet dicere, quia facilime ab *Hemiplexia*, si occurrat, separari potest, quemadmodum quoque discrimina haec, quibus dimidia corporis resolutio a ceteris omnibus resolutionis speciebus diffideat, Excell. IVNKERVVS non minus praecclare quam docte demonstrata dedit (f).

§. VI.

Quanquam vero utrique hi morbi *Apoplexio* atque *Hemiplegia* ratione indolis & symptomatum inter se distare & diuersi esse obseruantur: non tamen est dissimilandum, alteri alterum tam arcta propinquitate esse coniunctum, ut, experientia ipsa loquente, haud insolenter & raro inter se commutentur, ita ut *Apoplexia*, praesertim paulo grauior, si deforbuerit, expedire trans-

(e) *Libr. cit. Cap. I. §. VIII. & ibid. Obseru. IV. & VI.*

(f) *Conspect. Medic. Theoret. Pract. Tab. CXVI.*

transeat in *Hemiplegian*: haec vero contra, si diu in corpore persistat & omnem medelam eludat, promptissime in *ἀπόληξιν* aliquando transmigrare animaduertatur. Ex his haud sane obscure licet colligere cum tam sit expedita vtriusque mali commutatio, ea ex communi arque adeo eodem fonte emanare. Quo autem verum perplexi alias huius morbi ingenium atque indeoles perspiciat, non ab re erit, breuem hoc loco & quoad eius fieri potest perspicuam *Hemiplegiae* historiam subtexere, postea indidem facilius ut statuere valeamus, quae germana acerbae huius calamitatis caussa sit & quo in loco corporis ea potissimum lateat occultata.

§. VII.

Pernicialis igitur hic morbus incipit modo praeuiis doloribus capitis, praesertim occipitum afflagentibus (*g*), modo grauiore vel leuiore vertigine statim caput infestante (*b*), cui totius lateris, hunc morbum subituri refrigeratio & stupor succedunt, quae deinceps sensim in motus voluntarii, sensusqne perfectam desinunt abolitionem, opposito corporis latere vel intacto manente, vel, quod frequentius accidit, spasticis contra & conuulsu suis moribus tentato. Quid? quod vera & genuina si est *Hemiplexia*, nec capiti temperat, sed, quemadmodum dimidiā corporis totius partem, ita quoque capitis & faciei latus omni potentia & sentiendi & mouendi omnino orbat, ita, ut oculi acies atque auditus sensus in resoluto latere pereant (*i*), quin etiam

B 3 ipsa

(*g*) GOHLIVS *Compend. Prax. clinic. Lib. IX. cap. II. §. 7.*

(*b*) FRID. HOFFMAN. *Libr. cit. l. e. §. 9. & GOHLIVS Lib. & cap. cit. §. 11.*

(*i*) FRID. HOFFMAN. *Cap. cit. §. VIII. & obs. VI.*

ipsa oris labia propter muscularum resolutionem tristi, proh dolor! spectaculo in partem sanam contorquentur (k). Imo, quod maxime mirandum, ipsa quoque viscera ad vnum omnia, quae in resoluti lateris tractu conspiciuntur collocata, ne ab hac labe quidem sunt immunia (l). Complura accedunt insuper alia symptomata dirissima, velut mentis abalienatio, & debilitas memoriae (m), αφωνία vel certe loquelae difficultas (n), inquietudo corporis, calor satis vrens, alii obstructio, propensio in somnum aliaque id genus (o). Totum quoque *Hemiplegia* percussum latu intumescens liuido & lurido persaepe tingitur colore, nec raro, omnibus salubribus praesidiis incassum adhibitis, in sphacelum abit (p). Triste hoc atque exitiale malum quam difficile curatu sit, eum non fugier, cui huiusmodi aegrotis auxilium ferendi vñquam fuerit copia: atque etiam si aliquod leuamen a datis medicamentis sibi sentire videantur, haec tamen laetitia ipsis minus erit diurna; multo enim visu crebraque constat obseruatione periculosum hunc morbum plerumque in funestam desinere *Apoplexiā*. Ecce tibi hic vniuersum atrocissimi huius affectus historiam, breuiter quidem, sed tamen suffi-

(k) FRID. HOFFMAN. Loc. cit. §. IX. & GOHL. cap. cit. §. 13.

(l) FRID. HOFFM. l. cit. §. 9. IVNKERV. L. c.

(m) FRID. HOFFM. l. c. §. cit. vt & obseru. cit. GOHL. l. l. §. II. & 13.

(n) IVNKERV. l. c.

(o) GOHLIVS l. c. §. cit.

(p) IVNKERV. l. c. & GOHL. L. c. §. 7.

Sufficienter adumbratam, unde habebis perspectum, quomo^d incipiat, progrederiatur, tandem terminetur.

§. VIII.

Perspecta igitur grauissimae huius afflictionis natu^ra, ordinis ratio exigere videtur, primum ut dispiciamus, vndenam s^on^ticus hic morbus suos ducat natales, siue a quibus in corpore causis nascatur & foueatur? deinde quaedam *Phaenomena* singularia in hoc morbo ob- uia ut expediamus. At vero conueniet magis de pecu- liaribus siue specialibus humani corporis partibus, quae omnium maxime in *Hemiplegia* damnum faciunt, prius quaerere, quam ipsius *aitiologias* exponere, ut de hu- ius mali sede, quam medullae spinali plurimi, paucissi- mi ex aduerso oblongatae medullae afferunt, certo con- ster. In eo quidem eadem est omnium medicinam fa- cientium sententia & consensio, neruos, quemadmo- dum in qualibet sensuum motuumque voluntariorum ia- ctura, ita etiam in *Hemiplegia* potissimum esse inhaesio- nis subiectum, quippe de quibus, cum vulgari expe- rientia, tum maxime innumeris experimentis, eo con- silio, in spirantibus animalibus, a multis magni nominis viris, saepenumero adornatis, compertum est, omnium humani corporis partium motus, sensusque per eos tan- tum propagari, corporique animali praestari: verum de modo, quo nerui partes motrices in motum agitant, sensusque corpori conciliant: vt & de eorum sufficiente causa non conuenit inter rei medicae antistites. Verum enim vero amplissimum dicendi campum, cuius, exitum, quam principium, difficilius inuenire liceret, ingredi mihi videor, cuncta quae hanc in rem dici possunt,

hoc

hoc loco expromere conaturus. Quoquo itaque modo se res haberet, tamen in vniuersis morborum generibus a neruorum resolutione ortis, omnia, quantumuis a dissidentibus autoribus in vtramque partem acrius disputata, eodem redeunt, neruorum scilicet principia in eiusmodi aegrotationibus, quomodocunque grauiter esse afflita. Proinde nemini dicam sum scripturus, unde cunque motuum voluntariorum sensuumque originem arcessuerit, aut quacunque ratione neruorum actionem explicuerit; mihi metuolummodo venia tantorum viorum, his de rebus inter se dissentientium, liceat hoc loco qualemque meam sententiam in medium proferre.

§. IX.

Ego vero, si mihi, quae hac de re sentio integrum est expromere, nullus dubito liquidum quoddam subtilissimum neruis afferere, vtpote quod in cortice cerebri a sanguinis coniugio segregatum, tubulis neruorum immittitur exilissimus, per quos ad sensum motuumque organa affluit & illabitur, corpori sensum & motum praestitum. Verum enim vero quosdam mihi audire video, obiicere, nondum esse demonstratum nec ab omni vindicatum reclamatione, an eiusmodi in neruis hospitetur fluidum, quod corpori & sensus & motus suggestore ferrur? ast ita nobis reclamantes sibi habeant breuiter responsum, nihil nostra interesse, quam de neruorum agendi modo velint sententiam amplecti, nec vlli nos ea caussa litem esse moturos, dissentiant, an nobiscum consentiant? satis hoc loco erit tantum minimisse, omnium qui vnquam de hoc morbo aliquid memoriae

moriae prodiderunt, sententiam eo recidere, neruosas, quemadmodum in qualibet resolutione, ita quoque in *Hemiplegia*, affectas esse partes. Id quod etiam sectiones iis morbis peremtorum, quas *BONETVS* (q), *WEPPFERS* (r), *FABRICIUS HILDANVS* (s) aliique litteris consignatas in suis monumentis reliquerunt, abunde faciunt testatum.

§. X.

Quo igitur clarius pernotescat, quo maxime in loco corporis exitiosum hoc malum suam sibi figat sedem, & quid causae subsit, cur alterutri duntaxat corporis lateri subinde vsu veniat, altero eoque opposito plerumque illaeso manente? conueniet prima neruorum incunabula, vnde in corporis regiones prodeunt, paulo curatius perlustrare, iis quippe intellectis, nullius fere erit negotii, non horum solum sed complurium quoque aliorum, quae hac in calamitate haud raro contingere solent, symptomatum rationes reddere multo explicatiiores. *Autopsia* vero anatomica exploratissimum est, neruorum soboles, quotquot in animali corpore habentur, progerminare omnes *duerunt* e medulla vel oblongata, vel spinali, vnde in omnes corporis partes vel minutissimas, admirando sane artificio, distributae pertingunt, ita ut ne vspiam quidem, si ab epidermide, pilis, vnguis bus ossibusque discesseris, offendas, vbi vel subtilissimae acus cuspidem defigere valeas, quin continuo ibi doloris sensus oriatur. Nervus autem quilibet, dummodo non

C incu-

(q) *Sepulchre. Anatom. Lib. I, Sect. XV.*

(r) *Auctiar.*

(s) *Observat. chirurgie.*

incuriose inuestigatur, nihil, nisi innumerorum subtilissimorum filorum teretium congeries esse conspicitur, quae in vnum fasciculum arte collecta, suo ipsius velamento, a cerebri meningibus propagato, inuoluuntur atque inuestiuntur. Verum enim vero quia vereor, ut haec, quae de neruorum resolutione in *Hemiplegia* expositurus sum, perinde intelligi possint, atque ipse cogitans sentio, nisi forte ipsius cerebri admirabilem structuram cognitam habeamus perspectamque, operaे pretium facturus mihi videor, si, quanta possum maxima breuitate, eam heic explicatam trado.

§. XI.

Anatomes peritis cerebrum distingere solenne est in cerebrum stricte ita dictum, cerebellum & medullam oblongam. At vero cum ex hoc discrimine non ita magnus *Hemiplegiae* explanandæ futurus esse fructus videatur, quantus forte ex admirandæ cerebri structuræ contemplatione, nihil est cur distinctioni huic immoremur, verum satius erit mirabilem huius partis contextum, quo ceteras inter exsplendescit, collustrare. Est autem cerebri moles ex binis admodum conspicuis partibus, quarum quaelibet ad hemisphaerii speciem proxime accedit, concinne constructa, quae solenniter lobi cerebri vocantur: qui interueniente processu durae meningis falciformi disiuncti deprehenduntur. Quodsi alterum horum cerebri lobarum horizontali sectione ad usque ipsius ventriculum dissecueris anteriorem, duplex se tibi substantia futura est obvia, altera quae exterior & cinerei est coloris, cerebri correx dicitur: altera vero, quae interior & albi coloris, ipsius medulla cieri solet. Illa, quae

quae incomparabili *Malpighio* meris glandulis concinna-
ta esse visa est, solerissimo R V Y S C H I O solis vasculis sum-
mae exigutaris constare dicitur: haec vero quae intus
laret ex innumeris fibris, aut si verius dicere licet, toti-
dem tubulis iisque tenuissimis, qui tantae teneritatis, vt
nihil supra, affabre conflata est.

§. XII.

Quae extrinsecus corticis in modum medullam ce-
rebri ambit substantia, innumeris suis flexuosis anfracti-
bus ac gyris prominentibus, qui toridem profundis sul-
cis strigibusque inter se disiuncti sunt, lactes auium alio-
rumue animalium haud ita dissimili ratione refert. Ea
praeter duram meninges & arachnoidem membranam
tenui meninge *ἀρέτως* amicitur, quippe quae non emi-
nulas solum huius corticis strias arctissime conuestit, sed
in ipsos quoque eius sulcos demissa, indidemque reflexa,
deprehenditur. Abundat vero pia haec mater tam in-
credibili vasorum omnis generis copia, vt non mirum sit
eam injectionibus *Ruyshionis* adornatam a panni coccinei
colore vix aut parum ablusisse. Surculi horum va-
sorum tanta vberitate per omnem cerebri disseminantur
corticem, vt, *Ruyshio* perhibente, tota corticalis sub-
stantia solis meritisque vasculis, iisque minimis, videatur es-
se composita. Cortici huic, nullo medio alio interuen-
iente, continua est cerebri medulla, quae ex immensis
fibris tereribus, vel vero similius, ex innumeris fistulis
sive tubulis stupenda exigutaris, cum vasculis exterio-
ris substantiae continentibus, coagmentata esse, animad-
uertitur.

C 2

§. XIII.

§. XIII.

Evidem posset quispiam forsitan nobis obuertere, nondum satis liquere, num fila haec in medulla cerebri obuia, multisque cerebri locis satis conspicua, evidentiaque, velut corpore calloso, fornice, corporibus striatis *Willisi*, aliisque, essent peruvia, siue concava, ideoque canaliculi vel si mavis tubuli appellari mererentur: quia *Ruysebius* artificiofissimis suis iniectionibus solummodo vascula exterioris corticis reddidisset conspectiora; haud quaquam vero ipsi fuisset integrum, cerami iniectam ad usque medullam adigere. At vero etiam si lubens fusciplam, neminem anatomicorum etiamnum vlla arte cuiusquam oculis eiusmodi caua transitoria subiicere valuisse, quibus instructae feruntur medullae cerebri fibrae: ramen inde propterea nondum effici posse mihi videtur, eas omni quantulocunque permeabili cauo prorsus esse destitutas; quia ex permultis experimentorum testimoniis, argumentis & rationibus earum cauitatem, quantumvis exiguisimam, exstruere forer expeditissimum. Id quod cum iam pridem a viris magni nominis ad satietatem fuerit demonstratum, sane post Homerum iliada canere sustinerem, hoc loco demonstraturus, quod a tantis rei medicae ornamentis satis superque praestitum fuit.

§. XIV.

Sed, vt ad ea redeam vnde cœpi, habeto, vniuersitas, quae in cuiusvis hemisphaerii medulla reconditae iacent, fibras, ordine sane compositissimo sensim congregatas, in sic dicta medullae oblongatae crura anteriores, quae pedunculi quoque cerebri aliquibus nominan-

DUP

tur (2), abire, eademque maximam partem efficere. Crura haec oblongae medullae, quae numero bina, externo sao habitu speciem totidem columnarum tererium praeserunt, quae anterioribus sui partibus modico inter- ualio disiunguntur: posterioribus autem pededentim proprius ad se mutuo accedentibus coalescunt in unum id que valde conspicuum corpus, cui medullam spinalem versus progredienti se adiungunt socia crura medullae oblongae posteriora, quae pedunculi etiam cerebelli v- surpantur, quippe quae itidem nihil aliud, nisi perpetua cerebelli medulla, vtrorique ad medullam oblongaram demissa, eandemque hanc subeuntem arctissime complectentia, quo arctissimo complexu medullae oblongatae molem comparant prominentiorem conspectioremque Williso propterea ab annulari qualicunque figura, annularem dictam: *Verolio* autem pontis nomine insignitam.

§. XV.

Medulla iraque haec, quae oblongata nuncupatur, relicta annulari prominentia, in spatiū sensim cogitur arctius, quod ad magnum occipitis foramen progressum, mutato nomine, in spinalem desinit medullam, quae in osseo vertebrarum canali recondita, similiterque ac medulla oblonga & cerebrum, meningibus inuoluta defertur ad alteram circiter lumborum vertebram, vbi ipsa spinalis medullae substantia finitur, neruos tantummodo illos a se dimittendo, qui intra reliquum eiusdem ossei specus decurrentes indeque exeunt, ad inferiores corporis partes contendunt, *WINSLOWIO* id praedclare prae aliis

C 3 obser-

(1) *WINSLOW. Exposit. Anatomiq. de la structur du corps hu- main, Tom. IV. II. Partie 109.*

obseruante (u). Verum cum medullae oblongatae crura anteriora adaeque ac posteriora, *anatomica* loquente, continent & perpetuo tractu cum cerebri & cerebelli medullis cohaereant, fibraeque illae quas in his deprehendimus, in illis multo insigniores conspectioresque offendantur; medulla vero haec oblonga per ingens illud occipitis foramen egressa, *apertus* in spinalem abeat, quae eadem vtitur structura ac medulla oblonga, cuncti autem nerui, qui per corporis interiores recessus exspatiantur, natales suos vel ab oblongata intra cranium, vel extra illud a spinali medullis ducant: vix quicquam clarissimum potest esse atque illustrissimum, quam quod retentia illa stamina in quae cuiusvis nervus se diffundi patitur, nihil sinit aliud, quam tenerissimae illae fibrae in medullari cerebri & cerebelli substantia conspicuae, vrpote quae iugis & perpetuo itinere per oblongam aequem ac spinalem, medullas progressae ipsos nervos subeunt, vbi concinno ordine digestae atque inter se arctiori nexu coniunctae, deinceps innumeris propaginibus, sensim sensimque exilioribus, ad organa tam motoria, quam sensoria, distribuuntur.

§. XVI.

Quod vero omnium maxime nobis hoc loco venit commemorandum: quia & appositissimum & utilissimum est ad praecipua *Hemiplegiae* symptomata dilucide expedienda, est peculiaris ille situs siue positus & decursus quem fibrae, cerebri medulla exeuntes atque in nerveos fasciculos congressurae, constanti aeternaque lege seruant. Perspicuum enim est constatque *anatomica*, omni ratio-

(u) loc. cit. 150.

ratiocinio restatiore, neruorum eum esse situm, ut qui in dextro cerebri lobo oriuntur, inde perrigant ad partes lateris sinistri; qui vero a laeno cerebri hemisphaerio profiscuntur, illi descendunt ad alterum oppositum corporis latus, videlicet dextrum, quemadmodum praeter VALSALVAM, qui primus hanc fibrarum neruearum in medulla oblongata decussationem comperisse videtur (x), complures alii peritissimorum Anatomicorum, velut SANTORINV^S (y), MORGAGNV^S (z), LANCILIV^S (a), WINSLOVIUS (b), PETIT (c), GARENGEOT (d), uno ore fecerunt restatissimum.

§. XVII.

Quanquam vero fibrosa haec medullae cerebri stamina pluribus locis usque adeo perspicua sunt atque evidencia, ut vel nudis oculis usurpari queant; velut in superiori corporis ita vocati callosi superficie, vbi perexiguus sulcus, medium hanc superficiem secundum eius longitudinem peruidens, deprehenditur, ad quem fibrae ab urrisque loborum cerebri medullis satis frequentes transuerso itinere deferuntur, quae prope ab hoc sulco deinceps obliquatae, tandem in ipsa hac rima concurrentes iucundo spectaculo sese mutuo decussant (e), ut & in sic

(x) *de aure human. pag. 85. 86. cap. 5.*

(y) *Obseruat. Anatom. cap. III. §. XII. p. 61.*

(z) *Adversar. anatom. VI. animaduers. LXXXIV.*

(a) *desubitan. mort. Libr. I. c. II. n. 6. 7. 8.*

(b) *Libr. cit. Tom. cit. no.*

(c) *Lettres d'un Medecin f. 1.*

(d) *Splanchnol. cap. IV.*

(e) *WINSLOW. Libr. & Tom. cit. §. 63. LANSISIVS de sed. anim. cogit. f. 1. WILLISIVS de cerebr. & nerv. T. V.*

sic dicto fornicie, utpote in cuius superficie inferiore eminentes chordae medullares, eaeque copiosissimae, quae rotidem velut nenuulos eleganter referunt, conspiciuntur, quarum aliae transuerso, alias autem obliquo cursu decurrent, aliae rursus secundum longitudinem progrediuntur, quo nomine etiam GALENO corpus Ψαλοειδες; VIENUSSENO autem psalterium fuit dictum; item in corporibus striatis WILLISII multisque aliis medullae oblongatae partibus: nuspam tamen harum fibrarum neruearum mutua decussatio & conspectior evidentiorque, quam in anteriore & posteriore annularis protuberantiae crepidine, atque omnium evidentissime in imo caudicis medullae oblongatae, ubi in medullam abit spinalem (f). Quodsi enim, duas circiter lineas mathematicas sub eminentiis pyramidalibus atque oliuaribus tantummodo istam rimam longitudinalem, in antica huius medullae facie obuiam satisque spectabilem, ablata prius tenui meninge crenam hanc inuestiente, digitis lenissime diduxeris, tuismet oculis, nec sine singulari voluptate comperies, quam eleganti & admirabili ordine, non simplices fibrae medullares, sed integri earum velut fasciculi atque adeo nervuli, ab utroque medullae oblongatae latere profecti, oblique descendant & sese mutuo decussantes in aduersa siue opposita latera ferantur; documento omnium oculis restatori, illos, verbi causa, nenuos, qui dextro corporis lateri de sensu motuque prospiciunt, e sinistro tantum cerebri lobo progerminare: qui autem sinistram corporis parti inseruntur, ex dextro cerebri hemisphaerio dunat enasci.

§. XVIII.

(f) SANTORINVS loc. cit.

§. XVIII.

Hoc igitur probe stabiliro & fixo, quod nervi ex oppositis cerebri lobis egerminantes, in aduersa corporis latera disseminentur; vix vllijs iam erit negotii, & veram *Hemiplexiae* sedem, quam occupare consuevit, & ger- manam eius caussam efficientem, cui accepta est referen- da, dilucide & perspicue expedire. Est vero, si medi- corum, qui de morbis, nervorum resolutione prognatis, aliquid litteris mandarunt, monumenta collustremus, v- tius sensus eorum fere omnium de *Hemiplegiae* loco ac sede, si ab aliquibus recentiorum discesserimus: dimidi- am quippe solius medullae spinalis partem, sive dextram, si dextro corporis acciderit lateri, sive sinistram, laeuo corporis si vsu venerit dimidio, *Hemiplegiae* assignant se- dem, quae vel sero extrausato inundata, vel abscessibus, ulceribus, vulneribusue, praeter naturam affecta & com- pressa, huius mali fons & scaturigo esse disertissime, pla- nissimeque scribitur.

§. XIX.

At vero complura sunt nec minimi momenti argu- menta, quae nos inducunt, quo minus receptae pluribus huic sententiae omnino subscribamus. Quodsi enim, quae de nervorum ortu, progressu, mutua decussatione & itinere in aduersa corporis latera hactenus exposita le- guntur, sine praeiudicata opinione diligentius expendan- tur; si ipsa *Hemiplegiae* historia omnis secundum omnia, quae ei accident, curatius inuestigetur; si denique illa obseruata, quae a peritissimis atque exercitatiissimis medi- corum, in primis recentiorum, quibus haud insolenter & raro facta est copia, hominum qui hoc morbo obiere, a

D

mor-

morte aperiendorum, curatius annotata extant, consuluntur: ipsa luce clarus inde elucebit, sedem, nostrae aegrotationis visitatam, nequaquam in solius medullae spinalis alterutra parte, quomodounque violata, tantum esse collocandam; multo autem minus in illo eiusdem medullae dimidio, quod a resoluto corporis latere proprius abest; verum potius in ipso cerebro, vrpote praecipuo & potissimo fonte, vnde omnis vis motrix in nervos emanat. Neque vlli de hac *Hemiplegiae* sede dubium fore, facile crediderim, dummodo inclinante in neutram partem animo penitus ater, non solius modo alterutrius lateris partes omnes *Hemiplegia* violari sensuque ac motu suo omnino priuari; sed ipsum quoque totius capitinis dimidium, cum vniuersis in eo obuis partibus simul grauiter laedi, & sua sentiendi mouendique potentia adaeque orbari. Si proinde *Hemiplegiae* fomes in sola spinali medulla, excluso cerebro, reconditus iaceret, a qua ramen nonnulli atque exigui nervorum rami tantummodo ad capitinis & faciei partes pertingunt; vix exputare possumus, qui fieri queat, vt, sola hac spinali medulla grauiter offensa, intacto atque inoffenso cerebro, capitinis & faciei partes similem grauem sensuum motuumque iacturam facere possint. Ex anatomicis enim luculenter constat, nervum medullae spinalis, WILLISIO accessorium dictum, postquam cranii cauum subiit, in eo non manere, nec in ramulos diuidi, sed pari octauo siue vago adiunctum cum hoc cranii cauitate rursus egredi. Ramus vero insignis, qui nervus occipitalis eluet, a secundo & tertio paribus nervorum cervicalium ortus, posticis capitinis partibus exterioribus solum prospicit. Praeter hos ramos pauci qui.

quidam alii a superioribus nervis cervicalibus discedunt, qui cum nervi auditorii dura portione societatem faciunt. An idcirco ex hac nervorum coniunctione aliquis ea, quae in *Hemiplegia* alteri capitis lateri contingunt, expli-
catum sit iturus, id in medio relinquam.

§. XX.

Quod vero omnium maxime hoc loco commemo-
rari dignum, est id, quod a pluribus rei medicae scripto-
ribus, qui studia sua operamque in dissecandis homi-
num, *Hemiplegia* extinctorum, cadaveribus collocarunt,
diligenter obseruando annoratum est, mali videlicet hu-
ius & sedem & caussam, haud quamquam in illo cerebri
hemisphaerio, quod resoluto corporis lateri inhaeret, de-
prehendi, verum semper in opposita cerebri parte ita,
ut laevo corporis dimidio *Hemiplegia* correpto, vitium
duntaxat in dextro cerebri lobo reperiri: dextro autem
corporis latere resoluto, illud nunquam non in aduersa
cerebri parte inueniri: Ut autem omnium horum, quae
haec tenus protuli, certitudinem eo magis adstruam, infi-
nita fere mihi sese offerunt exempla, ex ipsa experientia
deprompta, quae sententiae meae testimonio esse possunt
amplissimo. At ne nimis longi simus in tot obserua-
tibus recensendis, quae, suffragante experientia, nostram
de sede *Hemiplegiae* sententiam ab omni & dubitatione &
reclamatione vindicant, quaedam duntaxat obseruata hoc
loco delibare placet. Candidus ille obseruator FABRI-
CIVS HILDANVS, varia assert exempla de alterutrius la-
teris resolutione, vbi *Hemiplegiae* caussa non in cerebro
solum, sed quod maxime animaduertendum, in opposita
semper cerebri parte extitit, quae, quemadmodum genui-

num huius morbi conceptaculum ac fomitem omnium clarissime patefaciunt; ita quoque dignissima sunt, quae heic allegentur. Hominis cuiusdam quadragenarii meminit, qui globo ferreo, plus sesquilibram ponderante, in bregmata sinistro fuit ictus, cum insigni caluariae depressione & fractura, vnde in terram velut inanimus cecidit, & loquela, visum atque auditum penitus amisit, dextro corporis latere *paralysi* correpto (g). Aliam huic non dissimilem refert historiam, de homine sexagenario, cui lapidis ictu os frontis, sinistro in latere, ibi, ubi capilli prodire incipiunt, profundius fuit impressum: Ex quo statim in terram, defluxit, vomuit, loquendi, vivendi atque audiendi potentiam amisit cum rationis visu, latere corporis opposito prorsus resoluto (h).

§. XXI.

Idem hic integerrimus auctor, nonnullas alias adducit obseruationes, itidem haud indignas, quae praesenti loco recenseantur: quia a nobis dictis & stabilitis multum lucis foenerant. Sic de muliere meminit, quae vulneris contusum in dextro bregmatis osse cum fractura & cranii impressione acceperat. Euomuit mox ab initio biliosum humorem & indigestum cibum, sinistrum latus resolutum est, in dextro autem conuulsiones patiebatur (i). Tum historiam de Rustico quodam narrat, qui exigui vulneris contusi occasione supra dextrum os bregmatis, maxima fractura cranii laborabat: vnde febriebat vehementer & delirabat, sinistro simul latere resoluto (k).

Aliud

(g) *Obseru. chirurg. Cent. 2. obseru. 3. Exempl. 1. pag. 78.*(h) *ibidem Exempl. 3.*(i) *ibidem Cent. 1. obseruat. 13. Exempl. 1. p. 21.*(k) *ibidem Centur. 2.*

Aliud exemplum non multum a prioribus abludens legitur relatrum in Academ. Reg. Scientiar. de puer ex alto delapso, qui caput laeserat: initio laeuius putabatur malum. Os in medio vulnero coepit postea nudari, inque sutura sagittali paruum apparuit foramen, per quod copiosum pus exiuit: hac puris excretione per aliquot dies cessante, pueri brachium dextrum, ut & eiusdem lateris maxilla quater vel quinques de die vehementer conuulsa sunt. Simul ac vero puris excretio redirit, hae conuulsiones omiserunt. Nihilo tamen secius exspiravit; in aperto cadauere totus sinister cerebri lobe inuentus fuit suppurratus, dextro lobo & cerebello illaesum atque integrerrimus (*l*). Ex allatis hisce exemplis abunde patet *Hemiplegiam*, quae his vulneratis euenit, suam sedem in opposito cerebri lobo semper habuisse.

§. XXII.

Neque ablundunt his obseruatis, quae Cl. VALSALVA animaduertit, quippe qui disertis verbis testatur, se quam plurimis cadauerum, *Hemiplegia* extintorum, sectionibus semper inuenisse, quod ubi alterius medietatis, corporis resolutio facta fuerit, caussa semper haeserit in opposita cerebri parte (*m*). Cui alter testis succedit locuples Celeb. MORGAGNVS, qui etiam diserre scribit, sibi in iis, quas Bononiae & Venetiis habuit, dissectionibus cadauerum eorum, qui *Hemiplegia* interierunt, huius morbi somitem causamque in illa cerebri parte, quae lateri corporis, paralysi percutto, e regione obiacet, semper constanterque esse perspectam (*n*). Congruit etiam hisce SANTORI-

D 3 NVS,

(*l*) *P' Academ. Royal des Sciences l'an 1700 bis. p. 56. 57.*(*m*) *Libr. & loc. cit.*(*n*) *Aduersar. anatom. VI. Animaduers. LXXXIV. p. 108.*

NVS, quippe qui eadem ipse in cadaueribus apertis deprehendit (*o*). Accedit eodem aliis fide dignissimus testis incomparabilis LANCISIVS, qui in auriga, repente de Sella immoti cursus dextrorum decidente atque exspirante, dextrum cerebri hemisphaerium citra sensibilem defectum, sinistrum vero cum vasorum plenitudine seruumque, subobscuro refertum colore reperit. Ex quibus haud sane exigua probabilitate efficit cogitque, causam ruinae adeo praecepitis dextrorum in homine isto, subitam extitisse crux moram in sinistro cerebri hemisphaerio, vbi vasa sanguine turgida sunt inuenta. Debilitata enim dextra corporis medietate, in quam communi firmioreque anatomicorum sententia distribui traduntur nerui, qui a sinistro cerebri cortice proficiuntur, minimo negotio deficere, eo in latere aequilibritas trunci & versus illud casus totius corporis contingere potuisset (*p*).

§. XXIII.

Quid? quod neque hanc *Hemiplegiae* in cerebri hemisphaerio, aegrotanti corporis lateri obiecto, sedem, Parenti nostro ac Principi medicinae HIPPOCRATI ita fuisse incognitam, quemadmodum sibi quis persuadere possit, illud ex ipsis monumentis minus obscure apparere videtur. Quippe varia in eius scriptis passim deprehendimus vestigia nec ea obscura, ex quibus apertere colligere licet, eum utique qualemcunque huius rei habuisse notitiam. Serua enim quaedam inquit, duodecim annos nata, cranium contusum & ruptum habens, sectione per ser-

ram,

(*o*) *Libr. & loc. cit.*(*p*) *Libr. & loc. cit.*

ram, non ut decebat, adhibita, decimo quarto die periit. Conuulsio autem manum sinistram occupabat, in dextra tamen parte vulnus habebat (q). Idem hic antiquissimus & grauissimus autor alibi: quibus tempora secantur, ait, ex aduersa sectionis parte conuulsio contingit (r). Item: temporum, inquit, regionem non temere esse secundam, quia talem sectionem conuulsio sequatur: & pergit, at si sinistra tempora fuerint sueta, dextra conuulsio prehendit: si vero ad dextra fuerint secta tempora, sinistra conuulsio prehendit (s). Atque eodem libro dicit: plerosque etiam altera corporis parte conuulsio occupat. Si quidem sinistra capitis parte vlcus habuerit, dextram corporis partem conuulsio prehendit: si vero dextra corporis parte vlcus habuerit, sinistram corporis partem conuulsio prehendit. Ex adductis hisce liquido appare existimem, jam HIPPOCRATI, experientia sola forte edocto, veram nostri mali sedem satis fuisse perspectam. Quo nomine cum ex ipsa corporis structura demonstratum dederim, quomodo nervorum radices in cerebro naescantur, indidemque ad medullam oblongatam perreptantes decussatim deferantur in opposita corporis latera, deinde quoque compluribus tot tantorumque doctissimum virorum obseruationibus, sola experientia, tanquam firmissio fulcro innitentibus, ad nauseam fere comprobaverim, *Hemiplegiae* conceptaculum fomitemque constanter in alterutro cerebri hemisphaerio, in eiusmodi morbo interemtis, fuisse deprehensa, eaque quod omnium praeципue

(q) *Libr. V. Epidem. textu 23 Charter. Tom. IX. p. 341.*

(r) *COACIS Praenor. No. 498.*

(s) *Libr. de vulner. capit. 18. Charter. Tom. XII. p. 123.*

cipue commemorabile est, semper in illo cerebri dimidio,
quod aegrotanti corporis lateri est aduersum: vix ergo
quicquam negotii iam erit, & genuinum huius calamitatis
seminarium & germanam efficientem causam cognoscere.

§. XXIV.

Verum enim vero prius, quam ad ipsas causas huius
mali, ordine exponendas, progredior, tacitus nullo modo
praeterire possum eximium aliquod experimentum quod
cel. *Petrus MOLINELLVS*, Philos. & Medic. Doctor in viuo
cane adornauit, quia ad sedem & causam *Hemiplegiae* de-
clarandam plurimum facit. Viuo cani sinistram caluariae
partem aperuit, tum duram matrem iterum ac saepius
pungens obseruauit, canem variis quidem torqueri con-
vulsuis motibus, praesertim cum illa durae marris pars
pungeretur, quae maxime ad os adhaerebat, nunquam ta-
men eum apoplexia corripi. Postremo sinistrum cerebri
lobum penitus fere extraxit, quo facto, canis exemplo ce-
cidit, non quidem in sinistrum latus, quemadmodum vi-
debatur exspectandum; sed in dextrum & rursum alleua-
tus, denuo ad idem latus procubuit. Dextrum insuper
corporis dimidium omni sensu motuque carere fuit vi-
sum, sinistro manente inoffenso & sensum motumque su-
um retinente. Addit deinde, nouisse se, idem experi-
mentum cum canibus viuis ab aliis suscepimus esse, sed si-
mili semper exitu. Tandem ex his efficit, tam celeberr.
MORGAGNVM quam *LANCISIVM* omni iure statuisse, faci-
le coniici posse, vira pars cerebri offensam in *Hemiplegia*
acepisset, dummodo attendatur in quodnam latus, *Hemi-
plegia* subito correptus, defluxisset. (1)

§. XXV.

(1) *Comment. de Bononiensi Scientiar. & artium institut.* pag. 139.

Quae igitur haec tenus vberius & fusiis, quam mihi
ego proposueram, exposui, ea nos via planissima ducunt
& breuiissima ad ipsum illum locum, in quo *Hemiplegia*
causa, suam sibi collocare sedem consuevit. Neuriquam
vero, alterutram medullae spinalis partem dimidiam, huic
morbo suam constituimus sedem, sed verius alterum ce-
rebri striktæ sic dicti hemisphaerium cum annexa medulla
oblongata, cerebello interim prorsus integro atque inui-
lato existente. Atque hinc rationem, si eam requiris,
habes, cur non in *Hemiplegia* tantum, sed in *Apoplexia* et-
iam, actiones corporis virales, velut motus cordis &
vasorum cum respiratione semper sint superstites atque in-
offensae. VIEVSSENIVS quippe per experimenta, in vi-
nis canibus facta, omnium oculis clarum fecit ac testatum,
eas neruorum propagines, quae vitalibus hisce paribus
inseruntur, easque motibus ac sensibus instruunt, a solo ce-
rebello suos ducere natales ; aliis contra, quae partibus
motum voluntarium sensusque subministrant, e solo cere-
bro prodeuntibus (*u*). Quid? quod, si diuersæ istæ de
resolutione alterutrius corporis lateris obseruationes, quas
tot tanquam lumina & ornamenta rei medicae suis in mo-
numentis, multa sedulitate ac fide annotatas nobis reli-
querunt, consideratius perpendantur, inde perspicue ap-
parebit, huius mali fontem, unde promanat, nunquam
non in illo cerebri loco scatere, qui resoluto corporis la-
teri iacet oppositus. In illa vero paralyseos specie, quae in-
fra caput alterum totius trunci latus cum appensis artibus

E

sub-

(*u*) VIEVSSEN, in *Neurograph.*

subinde inuadit, alterutrum medullae spinalis dimidium
praeter naturam esse affectum, nullius est dubii.

§. XXVI.

Cognito itaque natali illo loco, quo *Hemiplegia* est
exorta, non erit quoque alienum breuiter cauſas istas, a
quibus acerbum hoc malum corpori humano confari in-
terdum afflolet, delibare. Quae in his, prima hoc loco
venit nobis consideranda, est cauſa huius morbi proxi-
ma, vel si maius efficiens, quam impedito planeque inter-
cepto fluori liquidi nerui a cerebro, in musculos & orga-
na sensoria omnis laesi lateris, afferere non veremur. Cum
enim liquidum hoc, quod in cerebri cortice a sanguinis
consortio segregatur, libero suo, aequabili & iugi per
neruorum tubulos decursu, corpori & sensus & motus
praefest: non aliter fieri potest, quam quod influxu hu-
ius fluidi in nervos corporisque partes prohibito, subla-
toque, & motus & sensus omnino cessant.

§. XXVII.

Hinc quoque non est arduum rationem reddere,
quae cauſa subsit, cur in eiusmodi hominibus, quorum al-
terutrum latus corporis est resolutum, persaepe aduerso
lateri tam vehementes conuulsiones accidant? Etenim
cum per quatuor insignes arterias, velut carotides & ver-
tebrales, larga cruoris copia, ingi motu, a corde ad cere-
bri recessus adferatur, a quo in cerebri cortice liquidum
quoddam tenuissimum, neruis subeundis aptissimum iugi-
ter secernitur; sanguis vero huc appulsus vasa illa, quae
per vitiatum cerebri hemisphaerium abundatissima copia
diffusantur iam ingredi non valeat: crux ergo maior-
re vi & mole motuque citatori ad alteram oppositam in-
viola-

uiolatamque cerebri partem transferatur, est necesse. Quia proinde in hac sana cerebri parte vberior liquidi copia, quam pro motibus naturalibus secundum naturam exercendis est necessaria, hoc temporis a sanguine separatur, inque neruos huic lobo continuos, impellitur & ad musculosas illaes lateris partes deferatur, non sane mirum est, caussa motus validiore reddita, ipsos quoque inde pendentes effectus, velut motus, adeo ferociores, quam antea, cerebro prorsus incolumi saluoque existente, conspici.

§. XXVIII.

At vero quemadmodum in spectabili hoc vniuerso admirabilis quaedam continuatio seriesque rerum, animaduertitur, qua alia ex alia annexa & omnes inter se aptae colligataeque videntur: ita simillima etiam in ipso homine, compendio velut huius vniuersi, perpetua deprehendit caussarum cohaerentia, qua effectus vnius semper noua alterius euentus existit caussa. Proinde vel hic interclusus liquido nerueo ad corporis partes, tam musculosas, quam sensorias, aditus suas vt habeat caussas oportet. Quantum enim abest, vt aliqua herba sine radice possit nasci: tantum quoque abest, vt aliiquid sine caussa fieri queat. Quo nomine in rem nostram nobis esse videatur, hoc loco vel eas caussas quae remotiores sunt, siue externae, siue internae, iam perquirere atque inuestigare, vt clarius inde patescat, qua ratione ab ipsis, liberrimus liquidu neruei in neruorum radices surculosque introitus, impediri queat.

§. XXIX.

Harum vero caussarum remotiorum quemadmo-

E 2 dum

dum non exiguus habetur numerus: ita in aliquas etiam
 classes commode disperitri possunt. Prima comprehen-
 dit omnia ea, quae arteriosa cerebri corticis vasa compri-
 mendo, corrumpendo vel exedendo ira coarctant vel o-
 minino occludunt, ut nec sanguini, nec lymphae, aditus
 transgressus ad ea pateat vilus. In hunc igitur censum
 veniunt cranii fracturae, aut depressiones praeserrim in-
 signiores a quacunque violentia externa excitatae, nec
 non graues eiusdem corticis contusiones vel compressio-
 nes a sanguine vel in suis vasis subsistente, vel iis effuso
 atque extravasato, aut ab aliis liquidis lymphaticis, puru-
 lentis, ichorosis idque genus aliis, vrpote quae corticali
 cerebri substantiae subito suffusa atque incumbentia, eam
 vel onere suo ac pondere aggrauant, comprimunt obre-
 runtque; vel qualicunque acrimonia stagnando, aut ali-
 unde sensim contracta, arrodunt, exedunt, destruunt, &
 disturbant, sicque praepediunt, quo minus illud deliba-
 tissimum neruorum liquidum, quod & sensus & motus
 in corpore efficit, in cerebri cortice a sanguine allato se-
 cerni possit. Huc quoque pertinent tumores qualescum-
 que intra calvariae cauum prognati, inflammatorii, sero-
 fi, pituitosi, scirrhosi, ossi, stearomata, atheromata, me-
 licerides, abscessus, aliaque huius farinae, quippe quae ci-
 nereum cerebri substantiam onerando & violenter pre-
 mendo perdunt & demoluntur; vnde huius liquidi a
 sanguine separatio plane cessat. In hoc etiam numero
 ex internis caussis ipsa sanguinis abundantia, siue motu ni-
 mio corporis, siue vehementi calore, siue ingestis spiri-
 tuosis atque inebriantibus potulentis, siue exorbitantibus
 animi motibus, vel alio quocunque modo valdopere com-
 mota

mota & ad cerebrum copiosius iusto velociusque determinata, omnium praecipue est referenda, vt qua, & piae matris & cerebri corticis vasa omnis generis ita obruuntur atque inundantur, vt tenerimi illi vasorum furculi, illis vasis sanguineis continui, qui neruorum radices constituant, comprimantur planeque obserentur, siveque liquido nerueo iter & transitus in fibras nerueas substantiae medullaris omnino intercipiantur. Neque sanguinis nimia spissitudo, quin etiam cacoehymia humorum replens, a quacunque caussa in velociorem aequo motum agitatae, ab hoc internarum caussarum numero sunt excludendae, vt quae itidem ad *Hemiplegiam*, corpori subinde conflandam, plurimum valent. Cum enim cruxi nimis crasso nulla intercedat proportio cum subtilissimis & pulposis corticalis substantiae vasculis, cuius erit perspicuum, eiusmodi sanguinis flumine citatori, quam pro vasorum receptione & transmissione conueniente ad caput agitato, vix quicquam liquidi cerebri corticem esse subirurum, sed potius in piae matris sanguiferis canalibus esse moriturum, imo tandem constitutum, vnde vasculosa corticis substantia violentius debito compingitur & liquidis eam ingressuris via eo rescinditur; hinc illae lacrymae.

§. XXX.

Altera caussarum, quae *Hemiplegiam* corpori arcessere possunt, classis, complectitur illa omnia, quae exiles nerueos tubulos, interioribus cerebri recessibus atque adeo in ipsa cerebri & oblongata medulla obuios, ita immurant, sive comprimento, sive soluendo, vt liquido illi omnium tenuissimo, quantumvis in cerebri cortice a sanguinis societate diremto, nullus patet exitus in ipsos neruos,

uos, quo in casu persaepe non ira expeditum est, vel in cadaueribus eorum, qui *Hemiplegia* mortem occubuerunt, huius funesti morbi caussam detegere. Id quod Celeberr. MORGAGNVS disertis verbis ostendit, saepe enim inquiens, *accidit, ut vel nibil, vel ferme nibil quod morbosum sit, vel seru duntaxat copiam intra cranium (puta in buiusmodi cadaueribus operis) inueniamus, quod quidem serum non esse morbi caussam, sed hanc potius consequi, verisimile est, quanquam aliquando vel quod acre sit, vel quod repente effundatur ipsa esse caussa possit* (x). Excell. vero BOERHAVIVS huic caussarum classi vult vti- que annumeratum liquorem serosum, suis vasis in interiore cerebro circa cavitates obuii, vtcunque solutis, ex- untem & aggetu suo forniciatas cerebrosorum neruorum origines laedentem (y). Verum enim vero quamuis ipse suscipiam, posse omnino seri effusionem, praeser- tim copiosioris in cerebri ventriculos caussam *Hemiple- giae* aliquando esse, dum fibras medullae cerebri, vel etiam oblongatae, secundum naturam patulas & peruias comprimit; non tamen quamcunque huius seri extraau- sationem pro causa talis compressionis indiscriminatim habemus; sed eam duntaxat, quae vel subito & repente accidit, quippe quae omnino tam tenerrimis fibris atque adeo tubulis nerueis vim inferre valet; vel si serum illud, quantumuis lente & tarde ex suis vasculis destiller, acre sit atque arrodens, vt pote quod itidem eiusmodi subtilissimas neruorum radices euertere & omnino delere est aptissimum.

§. XXXI.

(x) *Libr. & loc. cit.*(y) *Aphorism. de cognoscend. & curand. morb. §. 1010, n. 4. & 1060.*

Quodsi vero rationem, quae nos mouet, a communi & omnibus fere Medicis recepta opinione discedere, requiras, qua contendunt, caussam *Hemiplegiae* medianam siue remotiorem praeter sanguinis molem, identidem quoque serum esse, sensim sensimque a sanguine sedens, & per porulos vasorum praeter naturam expansorum exsudans, quod nervis incumbens, eos comprimat: en habe eam paucis ab ipso MORGAGNO explicatam, quippe qui aperite fatetur, quod si serum illud paullatim ex suis vasculis quocunque pacto desillet, illud non parem afferre noxam premendo. Coniectura id haud sane improbabili ex eo potissimum auguratur; quod in cuiusdam grandaeuae mulieris crânio obseruauit, os frontis perinde ac petrosos utrosque processus, nouae ossae substantiae accessione, & ut ipsi loqui placet, quasi effusione multum atque inaequaliter introrsum excreuisse & protuberasse, hocque pacto cerebrum valde compressisse, quae tamen, cum in viuis esset; quoniam ista cerebri compressio pedetentim facta fuit autem, nunquam de villo cerebri vitio conquesta, neque ex aliquo eiusdem morbo mortua est, sed mucronis cordis ruptura atque subsequente immani sanguinis intra pericardium effusione repente obiit (z). Si proinde qualiscunque cerebri compressio a sero e vasibus suis, siue ruptis, siue alio modo solutis, sensim sensimque emanante, & medullari substantiae cerebri suffuso, *Apoplexiom* vel *Hemiplegiam* inducere valeret, profecto non satis exputare possum, qui fieri potuerit, ut femina haec, cuius tamen cerebrum, ab os-

sum

(z) *Lec. cit.*

sum excrescentiis procul dubio fuerit compressum, vitam egerit sine vila alterutrius huius morbi tentatione. Possem quoque, nisi breuitatis ratio mihi foret habenda, idem hoc compluribus aliis rerum testimonis iisque gravissimis, demonstratum dare, velut illa hydrocephali species, qui intra cranii pomoeria delitescens, cerebro *apertus* magnam vim aggrauando & premendo infert, nulla tamen subsecente nec *Hemiplegia* nec *Apoplexia* neque morte subita, quippe qua demum, longo tempore praeterlapsa, extinguntur.

§. XXXII.

Idcirco utique statuimus seri stagnationem in interioribus cerebri latebris & recessibus; vel ipsius quoque extraustationem collectionemque in cerebri ventriculis haud insolenter & raro *Hemiplegiae* esse caussam, utpote quod tenerrimis nervorum surculis, per medullarem substantiam, deductis, inque nervos insigniores abeuntibus, comprimendo magnam vim inferre solet, verum si eiusmodi nervorum compressio ab incubente sero calamitosum hunc morbum in corpore humano pariat, ea non lente pederentimque, sed semper subito, ac repente cerebri medullae accidat, est omnino necesse. Observatum enim est Viris de re medica optime promeritis, nervos corporis ad unum omnes, quantumuis ab externis caassis, velut tumoribus quibuscumque, abscessibus, aneurysmatibus idque genus aliis, subinde vehementer premantur, atque urgeantur, vix tamen quicquam damni inde facere. Cuius rei documentum, quo nihil clarus, nihil est testatus, affert Cel. MORGAGNVS, vt qui in muliere quadam Veneta, a se dissecta, ingens arteriae subclaviae

viae sinistramane aneurysma deprehendit, quod nonnullos, ab inferioribus ceruicis vertebris ad brachium descendentes neruos, *ἀνεύρως* tetigit & premendo afficit, quo tamen eorum munera nihil omnino turbata fuerunt, quid? quod, ne vllus quidem torpor nec debilitas in illo brachio unquam sunt animaduerſa (a). Quodsi huius obſeruari rationem ſcifciteris, quin femina haec, non brachii *paralyſia* dicam, ſed, ne quam eius quidem imbecillitatem, nec *ἀνεύρως* quandam ſenſerit? non videtur vlla alia ratio ſubfuisse, quam quod iſta preſſio ſenſim ſenſimque facta fuerit; vnde nerui, huic tumorī contigui, paulatim ſe quoque diſtendi paſſi ſunt sine vlla iſpis contingente notabili noxa. Consentaneum ergo etiam eſt, haec eadem eodem modo nerueis medullae cerebri ſtaminibus accidere, ſeri piaſſertim copiosioris in medullae interiora effuſio ſi paulatim fuerit facta.

§. XXXIII.

At vero quemadmodum ſola ſubitanea ſeri inundatio, in fornicatis medullae cerebri recessibus contingens, ſae- piuſcule nerueas ibidem collocatas fibras medullares ob- ruerere atque opprimere valet, vt liquido illi neruo omnis via aditusque ad neruos ſit omnino piacluſus: ita quo- que peregrina eiusdem huius ſeri indeoles atque acrimonia haud in ſolenter obſeruata fuit in cauſa eſſe, quamobrem liquidum hoc, ob iter interſeptum, e cortice cerebri ad ner- uos non poſſi proficiſci. Namque nihil fere dubii eſt, quia eiusmodi acris colluquies in molle cerebri medullam quo- quo modo deriuata ibique ſubſiſtens, tenerimas neruorum radices in hac medullari ſubſtantia defixas, arroden- do, li- quando, ſoluendo aut alio pacto euertendo laedat, corrum-

F

pat-

(a) *Aduerſar. anatom. VI. animaduerſ. XIV.*

patque. Hinc in caussis, tam *Apoplexiam*, quam *Hemiplegiam* hunc in corpori arcessere interdum solitis, omnium sermone celeb. BOERHAVIVS iure meritoque commemorat, serum acre atque acrimoniam atrabilariam in melancholicis identidem scorbuticis, podagricis, rheumaticis, arthriticis, hydropticis, aliisque morbis solennem (b). Cui adstipulatur illud decus rei medicae FRID. HOFFMANN., qui diserte perhibet, ordinarias excretiones seri impuri atque acrioris vnde cunque prohibitas, aut extraordinarias in aliis ignobilioribus partibus, vbi eiusmodi spurca peregrinaque seri acris colluuias cum egregio sanitatis emolumento multifariam e corpore euerri atque excuti solebat, suppressas, ad *Apoplexiam* aequae ac *Hemiplegiam* procreandam esse quam appositissimas. (c)

§. XXXIV.

Neque hoc facile vlli dubium videbitur, dummodo curatius expenderit, complures illas obseruationes, rei medicae scriptoribus diligenter annotatas, quippe quae faciunt testatissimum, quanta quamque grauia damna valetudinis prosperitati ab eiusmodi ordinariis & naturalibus, seri acrioris, excretionibus, quacunque de caussa, impeditis prorsusque sublatis, vel etiam ab aliis extraordinariis temere aut intempestive inhibitis & suppressis, persaepe acciderint. Prout igitur eiusmodi serosa acris illuuias has illas ue corporis parres inundauerit interiores, diuersa quoque morborum genera, ut progignat, necesse est. Sic existant obseruationes quam plurimae de achoribus, crusta lactea, scabie, capitis tinea, erysipelate, purpura, ulceribus variis manantibus praesertim antiquis, nec non aliis seri manationibus ex aure, oculis, naribus, cetera, inconsiderare repres-

fis,

(b) *Libr. cit. §. 1010. n. 4.*(c) *Libr. cit. Cap. I. §. 17.*

sis, siue ad corporis interiora retropulsis, quae luculentissimo possunt esse documento, quam grauia nec raro funesta cœconomiae animali venire solent mala detrimentaque ab huiusmodi excretionibus quoquo modo cohibitis. Quodsi igitur tale serum acre, velut purpuraceum, scorbuticum, scabiosum, arthriticum, rheumaticum, podagricum, ulcerosum ab externis partibus, quomodo cunque fuerit reuocatum, & ad cerebri interiora translatum, nihil profecto dubii est, quin diuersae calamitates sanitati indidem sint nasciturae, velut *Epilepsiae*, varii morbi *nvadēc*, *Hemiplegiae*, vel *Apoplexiae*, prout haec seri acris illuvies ad hanc illamue cerebri partem redundauerit. Experientiae enim testimonio constat, hos cerebri morbos, magnum utique inter se habere commercium, ita, vt *Epilepsia*, exempli ergo, haud raro expedite transeat in *Apoplexiam*; aut morbi soporosi in *Hemiplegiam*, vel haud insolenter in *Apoplexiā* desinant. Nemini ideo mirum videbitur, haec aequa annimi lance penitus turo, cur persaepe, acutissimi MORGAGNI testimonio, in cadaseribus *Hemiplegia* extinctorum dissecatis, nihil in cerebri interaneis, aliquando autem duntaxat exigua serosae viginis copia deprehendatur. Quae serosa sentina, vtrum *Hemiplegiae* caussa extiterit, an vero in ipso mortis articulo demum a sanguine in suis canaliculis subsistente, discernerit atque in reductiores cerebri secessus diuerterit, cum non satis liqueat, nec dum inter omnnes conueniat, hoc loco vberius ostendere nihil attinet. Illud tamen certe indubitate veritatis est, ejusmodi acres & corrodendi vi praediras fordes serosas, copia quantulacunque cum sanguine in cerebri medullam congestas ibique consistentes, non feriaras esse futuras a sua laedendi & destruendi efficacia, sed potius pertenues neruorum si-

bras arrodendo, soluendo, exedendo destructuras atque omnino deleturas.

§. XXXV.

Tertia denique classis, cunctas eas continet caussas, quae vel ipsi sanguini, lymphae & liquido in cerebro secerندо, tales induunt naturam atque ingenium, ut per minutissimos cerebri canaliculos libere satisque expedite agitari nequeant, vel illa ab aditu atque introitu in corticis vascula prohibeant. Quo in censu itaque venit primum referenda, spissitudo sanguinis inflammatoria, quam crux adipiscitur ab omni motu circulatorio modum excedente & diu continuato, quo eius moleculae inter se validius compressae, non solum in maiores globulos concrescunt, sed simul etiam inter se vehementius perpetuo collisae atque agitatae, nimio calore incenduntur, vnde dissipato aquoso, magis solidescunt (*d*). Conciliatur vero sanguini eiusmodi *ðæθeris* inflammatoria ab omni diutino motus circulatorii excessu, vnde cunque, siue immoderatis corporis laboribus atque exercitiis, siue acutis febribus continuis, praesertim vehementioribus inflammatoriis orto, qui deinde ad cerebri corticem appulsus, vel in huius meningibus, vel ipso cortice subsistens, *Pbrenitidem* aut alios cerebri morbos, velut *convulsiones uniuersales*, *coma vigil*, *coma somnolentum*, *lethargum*, *bemiplegiam* aut *apoplexiā* inducit. Cognoscitur vero inflammatoria haec crux viscositas, *BOERHAVIO* excellenter monente, ex acuta continua febre, furiosis deliriis, ingenti capitū dolore inflammatorio, diu praegressis, vt & ex omnibus illis signis, quae oriuntur a sanguine, per cerebri vasā permeare & transire impedito, qui sic eo maiore copia & impetu per alias capaces ramos carotidum ruit ad ceteras capitū partes, velut

(*d*) *BOERHAV. loc. cit. §. 100.*

magnō-

magnō faciei rubore, capitī intumescentia, vasorum, in facie & temporibus sitorum, insigni inflatione pulsaque, oculorum tumore, scintellante fulgore atque immōdico rubore cum lacrymis excussis, aliisque compluribus signis, cerebri inflammationem prodentibus. (e)

§. XXXVI.

Pertinet porro ad hunc cauſarum numerum crassā, glutinosa, pituitosa iners totius sanguinis natura, quae variis cauſis orrum refert suum acceptum. Namque vel ingestis glutinosis, viscidis, farinosis, crudis aliisque, in prima economiae animalis culina, ob vim viscerum $\chi\lambda\omegaποιης$ inservientium vnde cunque labefactatam atque infractam, non rite & sanitati conuenienter digestis atque elaboratis, debetur, vnde tum chylus iusto crassior & tenacior generatur, qui deinde massam sanguineam ingressus, a viribus vitae artritis debilitatisque, neque superari, neque in bonae notae succos sanguineos mutari potest: vel a motu corporis animalis nimis imminentio proficiscitur, si homines opiparo & lautori vietu quidem vtuntur at otio desidia eque se dedunt, negligendo atque omitendo pernecessarias, sanitatis conseruandae utilissimas motiones exercitatio-nesque corporis: vel a retentione crassiorum, debilitate instrumentorum excernentium, quemadmodum in hominibus aetate atque adeo senectute confectis, luculenter apparet, qui eiusmodi spissos & viscidos succos virales in suis vasibus fount. Cum enim in his omnes solidae corporis partes euadant rigidiores magisque elasticae, maiore quoque vi ac motu in cruorem agant necesse est, qui proinde assidue compressus, in dies magis magisque infissatur: accedit illa potissimum cauſa, quod in senibus maximus vas-

F 3

rum

(e) Libr. cit. §. 1010, no. 2.

rum minimorum & capillarium numerus abolitus sit atque oblitteratus, vniuersas ergo secretiones excretionesque serii ac muci pederentim quoque imminuantur oportet. Quae ideo in tota humorum massa relicta retentaque ac sensim accumulata, huiuscemodi sanguinis lentori & viscositati progignendae in senibus, omnium maxime inseruiunt.

§. XXXVII.

Ex his jam quoque ratio reddi potest cur *Hemiplegia* non minus quam *Apoplexia* hominibus in primis, quibus aetas ferme est exacta, prae aliis familiares sint? item quid sit, quamobrem homines, qui frigida & pituitosa sunt temperatura; nec non catarrhos & leucophlegmatici, commemoratis hisce calamitatibus praeципue obnoxii sint atque expositi? Quippe omnium horum corpora abundant liquidis mucosis, spissis & tenacibus, quae ad cerebrum perducta in ipso itinere, per angustissima & tenerrima huius partis vascula facile gradum sifunt, cauissis cereris conspirantibus in hunc effectum accendentibus, velut citatior eiusmodi sanguinis per corporis vasä circuitus, siue immoda corporis agitatione, siue potentis spirituosis & inebriantibus aut aliis edulibus, calefaciendi virtute adornatis, siue vehementioribus animi cupiditatibus, aliisue id genus cauissis occasionalibus, excitatus.

§. XXXVIII.

Tandem quoque huic cauissarum classi adiungendae sunt variae polyposae concretiones, tam in durae matris sinibus, quam in ipso corde insidentes, quippe quae cerebro & *Hemiplegiae* & *Apoplexie* anam dare consueuerunt. Etenim illae, si praesertim in sinibus durae meningis longitudinali & torculari, aut lateralibus inhaerescunt, sanguini a cerebri cortice & medulla regressuro, magno sunt im-

pedi-

pedimento, quo minus indidem libere recedere & in sinus hos remeare queat. Quo nomine non aliter fieri potest, quam vt liquida, non satis expedite reuerti nescia, vel in alterutro cerebri hemisphaerio stagnant, & ita alterius vtrius corporis lateris resolutionem, vel in vtroque consistant, hacque via *Apoplexian* homini arcessant. Hae vero quae in corde potissimum sinistro aut eius laena auricula subinde, multis de caussis contingunt, si, vt aliquando fieri obseruatum, ex vinculis, quibus vel in auricula vel ipso cordis antro, constrictae, cum sanguinis flumine e corde euoluti abripiuntur, & in aortae arcum delatae ibique fluctuantes, suis cruribus in alteram arteriarum carotidum & vertebrarium intruduntur, *Hemiplegiae* viam sternunt expeditissimam. Quoniam enim crux per has obstructas arterias ad cerebrum peruenire nequeat, hocque modo sanguinis per piae matris & cerebri vasa progressus, ob deficientem a tergo impulsum, intercipitur, liquido apparebit, vitali liquido in illo cerebri hemisphaerio esse omnino subsistendum, ad quod occlusae hac arteriae pertingunt, ideoque deficientibus fluidi nerui & secretione & influxu in nervos, *Hemiplegiam* certius certo esse orituram.

§. XXXIX.

Praecipuas itaque caussas mediaras siue remotiores, quae humano corpori hunc tam molestum quam exitiale morbum inducere possunt, quoad eius fieri debuit & breuitatis ratio, quae mihi habenda est, permisit, explicuisse mihi ego videor, reliquas quae forte adhuc adiici possent, de industria fecero missas, quia in omnibus libris enarratae leguntur. Reliquum proinde nobis esset vt de iis subiectis, quae ad *Hemiplegian* proclivia sunt, mentionem quandam faceremus: at vero cum Excell. IVNKEVRVS id aperi-
tissi-

tissime planissimeque expedieuit, nihil est, quod ea hoc loco repetamus, quae eius Medicinae conspectu vberimē commemorata legi possunt.

§. LX.

Tandem ne quis quaedam eorum, quae ad illustriorem *Hemiplegiae* declarationem pertineant, a nobis censeat praetermissa, hoc loco subiungere conueniet solennem illam inque Scholis medicorum omnino receptam distinctionem, qua hic morbus, aequē ut *Apoplexia*, in sanguineam & serosam *Hemiplegian* omni iure diuiditur. Illa ita appellari solet, si sanguis proprius sic dictus tantam cerebro infert vim noxamque premendo, distorquendo, soluendo, contunden-
do, corrumpendo, aut aliis multis modis violando, ut liquidorum expeditus liberque motus & progressus in alterutro hemisphaeriorum omnino interrrumpatur: haec vero hoc nomine cieri consuevit, si seri sive pituitae, vel stagnatio, vel effusio in cassa est, cur per compressa vas & fibrillas nervas nihil liquidorum ire & redire queat, Celeb.
L A N C I S I O hoc *Apoplexiae* propterea etiam *Hemiplegiae* discrimen vix quicquam argumentum in re ipsa habere videtur, quippe qui sanguinem existimat solum in culpa esse seruinq[ue] illud, quod in *Apoplexia* mortuorum cadaveribus dissecatis invenitur, duntaxat huius morbi mortisque sequelam existere, cui illud quoque assentitur Excell. BERGER vs (f). Atqui ego non induci possum, ut huic sententiae succinam aut calculum adiiciam, cum non tantum complures alii iisque grauiissimi ac de re medica optime prouerit Viri, qui experientiae fulcro itidem innixi, contra putent, sed quia etiam sententia haec quam plurimis difficultatibus obstruta est, nec sane paucā maximū momentū argumenta ei refragantur, breuitatis ergo heic consulta & data opera a me omissa.

§. XLI.

Solemne quoque Medicis est nostrum morbum distinguere in *Hemiplegian idiopathicam* & *symptomaricam* ut & in grauorem leuoremque. At cum haec omnia per se ex ipsis verbis satis clara sunt & perspicua, nihil est quod hisce vocabulis verbosiore interpretatione ac declaratione exponendis diu immoremur. Vnicum quod hoc loco subiectendum mihi relinquitur, est ipsa huius morbi therapia & prophylaxis. Verum enim vero cum vtraeque vberius & fustis in multorum doctissimorum Practicorum monumentis explicatae legi possint; fructra operam mihi video sumuntur, quae ibi extant, huc transference atque exscribere conatus, longior quoque in hac dissertatione fore, quam mihi constitutum. Quo nomine portam recipiam & e pelago me recipiam B. L. rogans, qualemcumque hanc opellam suo sauori ut habeat commendatissimam.

(f) in *Diffut. de Apoplexia.*

F I N I S.

He 157.8°

?

ULB Halle
002 179 687

3



sb



DISSESSATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE
HEMIPLEXIA,

Quam

AUSPICE DEO PROPITIO,
Et Consensu atque Autoritate Grauoja Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
P R A E S I D E,

DN. D. MICHAELE ALBERTI,
SACR. MAJ. REG. PORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE
PUBLICO ORDINARIO, ETC.

FACULT. MEDICÆ SENIORE
ET DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

Domino Patrone, ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,
PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DO-
CTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONVENTIS
ANNO MDCCXLIV. D. OCTOBR:

Publicæ ac placide Eruditorum ventilationi subjiciet

AUTOR ET RESPONDENS

GOTTLOB IMMANUEL SOMMER,
LANDSHUTA - SILESIUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

